1532. d. 13 apri

Sigismundus Primus Rex
Poloniae
Friderico Palatino Rheni Exercituum Romani Imperii Supremo Capitano

Illustris Princeps et Domine affinis Noster Charissime magnopere Nos delectat studium cura et sollicitudo quam de liberando tuendoque Populo Christiano ab immanissimi Turcorum Imperatoris impetu et vi hostili Illustritas vestra cum Caesarea Majestate et aliis Germaniae Principibus et Proceribus habet. Haec enim vigilantia Caesareae Majestatis et Illustrissimorum Germaniae Principum, praecipua occasio esse poterit, Christianitatis Regna et Provinciae in eum in quem inclinarunt, interitum adducantur.

Et Nos quidem pro Nostro in Christianam Religionem amore et affectu Dominum Deum precamur ut actiones fidei et Populi Christiani defensorum fortunare illisque victoriam ex hoste concedere dignetur.

Equos caeterum duos ex his quos apud Nos in praesens habuimus dellectos Illustritati Vestrae mittimus non minus liberali animo et gratitudine quam ab Illustritate Vestra desiderari possint, quos illa non tam magni quam benevolentis muneris loco suscipiet

sicut.—

sicut et Nos in recipiendis ab Illtate Vestra delicatis muneribus non rei pondus sed animi illius erga Nos propensionem spectavimus, pro quibus ut decet magnas Illtati Vestrae agimus et habemus gratias et non solum gratitudine Nostra sed omni studio et bene volentia Regici reserve vicissim illa curabimus Illtati Vestrae Cui ex hoste victoriam et longam vitam cum summa felicitate conjunctam et longam vitam a Domino Deo optamus ejusque amori Nos commendamus

Cracoviae d. 13 Aprilis Anno Domini
1532.